

tur, invitant ad comedendum, ad bibendum, ad dormiendum, ad luxuriandum: nullum sit pratum, etc. Sap. II. et simul metum et sollicitudinem auferunt futuri iudicii. Nihil solvetis, inquit, Deus misericors est, non fecit homines, ut eos perdat: legito semel psalmum *miserere*, et omnia salva erunt. O quam suaviter illabitur concio ista in animos insipientium peregrinorum! At ubi adest mors, et egredi cogimur ab hospitio, ubi dicitur nobis: Heus tu solve, quod comedisti! Et quantum est, quod debeo? Quantum? Supplicia sempiterna. Quid supplicia sempiterna pro tam amaris et exiguis voluptatibus? O utinam nunquam ad hospitium divertissem! Pereat dies in qua natus sum. Sed dicitur ei: Non est nunc tempus poenitentiae, comedisti et bibisti, solvendum est. Intelligitisne qualis sit mundus? » Hæc Bellarminus. Figura huius mundi fuit Jahel illa, quæ divertentem ad se ducem Sisaram benevole excepit, egressa in occursum ejus, et dicens: *Intra ad me domine mi, intra, ne timeas*. Moxque aperuit utrem lactis, et dedit ei bibere, donec consopiretur; postmodum tempora ejus clavo transfixit et affixit pavimento, Jud. IV. Sic mundus blande ad se invitat homines, et deliciis demulcet, quosque in peccatis consopitos affigit clavo pravæ consuetudinis, quominus a peccatis surgere et per poenitentiam fugere mortem queant. Quid igitur hic consilii? Imitemur communem Italorum morem, qui cum optime calleant cauponum suorum calliditatem, priusquam fercula sibi apposita vinumque tangant, ea licitantur, et si quidem justo offeruntur pretio, prius emunt, quam absument, atque ita sine deceptione, et sine timore læti et hilares cœnant; præsciunt enim quantum sibi solvendum sit, nec a caupone decipi possunt. Similiter antequam te effundas ad mundi delicias, opes et honores, quære prius, quanti constant ista? Et quamprimum dicet tibi sacra Scriptura, dicet fides, dicet conscientia, quod æternis suppliciis. Proinde cum Demosthene dicito: *Non emo tanti panitere*. Hoc, inquam, si faceremus, non tam proni in mundi delicias rueremus, nec tam acerbum computum in morte penderemus. Sed heu! instar canis ruimus in ollam, et fustem non prævidemus. Cultrum in foro mundi emis, aut acum, rem vilissimam, et nihilominus prius quæris quanti illa constant, et siquidem cariora videntur, non emis: cur non idem facis in foro animæ, et negotiatione spirituali? Quid hic excusationis obtendes.

V. Hospitem discedentem, et non reversurum statim obliviscitur. Unde Sapient. V. dicitur: *Spes impij tanquam memoria unius hospitis prætereun-*

tis. Et licet hospes plurimas apud eum pecunias expenderit, cauponemque ad prandendum secum invitaverit, ita tamen ab eo post aliquod tempus excipitur, quasi nunquam ei visus fuisset. Aliqui etiam in tabernis relinquunt sua insignia: si tamen ab hospite roges, quid hic vel ille dominus egerit apud illum, nihil recordabitur, nisi quod olim apud se diversatus fuerit, et forte quod fuerit amicus tabernarum. Ad eundem modum mundus statim deponit memoriam suorum sectatorum. Multi fuere mundi hospites, et amatores olim perillustres, imperatores, sapientes, heroes, excellentes artifices, qui tamen nunc in mundo sunt obscurissimi, et licet varie per ædificia, per libros editos, per facta memorabilia, etc. conati sunt nomina sua æternæ memoriæ commendare; nequaquam tamen id assecuti sunt. Unde Baruch, capite III. inquit: *Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? Qui in avibus cæli ludunt? Qui argentum thesaurizant, et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum? Qui argentum fabricant, et solliciti sunt, nec est inventio operum illorum? Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt, et alii loco eorum exsurrexerunt*. Mundi typus in hac re fuit Nabal, qui tametsi multa beneficia acceperat a Davide, eum tamen in necessitate agnoscere noluit, dicens: *Quis est David, et quis est filius Isai? Tollam ergo panes meos et aquas meas et carnes pecorum, quæ occidi messoribus meis, et dabo viris quos nescio, unde sint?* I. Regum XXV. Sic mundus nescit sepulera et ossa potentum et sapientum mundi, nescit eorum palatia, vestes, opes, acta, beneficia accepta, etc.

Quid igitur consilii? Noli blandiri mundo, sed male eum tracta, et pugnis ac verberibus tunde, sic enim tui memor erit semper, sicut etiam caupo illius hospitis a quo male tractatus et egregie depalmatus fuit. Sperne igitur mundum, et incipiet te suspicere, colere, et posteritati commendare. Per hoc medium celebres in mundo facti sunt sancti, Antonius, Benedictus, Franciscus, Hieronymus, apostoli imprimis, quia mundum spreverunt, ejus fallaciam detexerunt, et quasi triumphatum traduxerunt, hinc coluntur etiam nunc non a vulgo solum sed a regibus et sapientibus, sciuntur eorum sepulera, asservantur magna religione eorum ossa, vestes et vasa, etc. per hoc magni et celebres in mundo fiunt et posteritati commendantur, non qui famulorum caterva stipati, in holosericeis incedunt vestibibus, novasque vestium excogitarunt formas, non qui ex auro et argento bibunt: sed qui cum in sublimi statu et nobilitate sint, humilia sectantur, plebeio incedunt habitu, hospitalia visitant, pedes pauperum la-

vant, ægrorum ulcera abstergunt. Per hoc in mundo celebrantur, non qui aurum et argentum cumulant, sed qui dispergunt et dant pauperibus, justitia eorum manet in sæculum sæculi: non qui omne pratum percurreunt sua luxuria, sed qui virginitatem colunt, etiam in matrimonio, inter occasiones delinquendi incontaminatos se conservant: non qui hostes duello prosternunt, sed inimicis suis injurias condonant et amicitiam ac beneficia offerunt: non qui epulantur splendide, sed qui jejuniis et tenui victu ventrem castigant: non qui in mollibus lectis stertunt, sed qui in spinis, in nive, in nuda humo noctes pie transigunt. Hic, inquam, hic modus, hæc via est perveniendi ad nominis celebritatem. Petrus Consalvus dum quadam die equo superbe vectus per urbem cum sodalibus spatiaretur, toti vanitati mundi expositus hic illic lascivens in profundum lutum cecidit, ex quo cœnosus extractus cum a pueris et plebe circumstante rideretur affatim, rubore suffusus sibi que iratus, ita secum locutus est: *Quemadmodum o munde cui tam graviter servivi, sic a te tractor, ego quoque te vicissim, ut mereris, tractabo*. Itaque eodem momento statuit se Deo famulaturum: quod paulo post fecit in Dominicanorum familia magna cum civium admiratione, Platus, de bono relig. lib. III. cap. XXXVIII. Quare cum apostolo Petro, I. Petr. II. *Charissimi obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis: et cum apostolo Joanne, I. Joan. II. Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt*.

CONCIO VI.

INSTRUCTIO CONFIRMANDI.

I. Quid circa hoc sacramentum sciendum. — II. Quid circa suscipientem. — III. Quid circa patronum. — IV. Effectus confirmationis. — V. Effectus extraordinarii.

THEMA.

Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis.

Joan. XIII.

Hodiernum evangelium desumptum est ex sermone Domini in ultima cœna habito. In eo vero sermone inter alia Dominus mentionem facit sacramenti confirmationis, et promissionis ejus. Imo doctores ex epistola, II. Fabiani papæ ad orientales, colligunt Christum in ea cœna docuisse apostolos, modum conficiendi et conferendi christma: unde et in hodiernum confici solet feria quinta in cœna Domini. Hinc non immerito

colligere possumus, hodierno evangelio instruere voluisse Dominum eos, qui confirmandi erant. Etenim in confirmatione roborantur fideles ad preferendas pro fide Christi persecutiones. Idem facit Dominus in hoc evangelio, ubi ait: *Non est servus major domino suo; si me persecuti sunt, et vos persequentur*. In confirmatione signantur fideles tamquam milites, et conscribuntur ad militiam. Idem indicat Dominus in hodierno evangelio: *Ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*. In confirmatione accipit homo alampam, ut meminerit se destinatum ad toleranda quævis adversa pro Christo, adeoque etiam se ad hoc confirmatum esse: similiter in hodierno evangelio ait Dominus: *Memento sermonis mei, quem ego dixi vobis*. Quare instruamus eos, qui confirmationis sacramentum accepturi sunt.

I. Circa ipsum sacramentum nosse debet confirmandus primo, confirmationem novæ legis sacramentum esse, ac proinde a Christo institutum. Promisit enim Christus hoc spirituale donum, Joannis cap. XIV. et XVI. Luc. XXI. Actorum cap. I. cum promisit missionem Spiritus sancti, in die pentecostes factam, ubi et discipuli confirmati sunt, licet modo extraordinario et speciali: nam postea apostoli per manuum impositionem eam contulerunt, utique a Christo sic instructi et facere jussi, Actor. VIII. et XIX.

Secundo, non esse quidem necessarium ad salutem hoc sacramentum, esse tamen admodum salutare, nec sine peccato veniali omitti, cum suscipi potest. Præstat enim vires ad resistendum dæmoni, et ad fidem constanter coram tyrannis aut hæreticis eam oppugnantibus profitendam. Unde scribit Clemens Romanus, epistola ad Jacobum, se a Sancto Petro intellexisse, neminem perfectum Christianum esse, qui septiformem Spiritus sancti gratiam in sacramento confirmationis ab episcopo non acceperit: sic etiam Urbanus papa de consecratione, d. V. capitulo, Omnes fideles, ait: « Omnes fideles per manus impositionem episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent; ut pleni Christiani inveniantur, qui cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam et constantiam dilatatur. » Nimirum sicut Themistocles de Retensium duce Theotide Orontho dicebat Atheniensibus: *Non timere Theutidem, quia licet habeat gladium ad jugulandum, non tamen habet cor ad evagrandum*: ita dici de illis potest, qui baptizati quidem sunt, non tamen confirmati.

Nam ibi accipiunt gladium, hic cor ad evaginandum. Augustinum audi, in sententiis, numer. CCCXLII. *Christi, ait, nomen a chrisinate, id est,*

unctione; quia ideo omnis Christianus sanctificatur, ut intelligat, se non solum sacerdotibus, et regie dignitatis esse consortem, sed etiam contra diabolum fieri luctatorem. Ob hanc causam sancti viri neglectum huic sacramenti dolendum existimant. Sanctus Anselmus archiepiscopus Cantuariensis, quod filiolum quendam, ad confirmationem sibi presentatam repudiasset, licet tunc sibi discedendum fuisset, usque ad mortem male habuit, Edinerus, in ejus vita.

S. Mauritius episcopus Andegavensis, quod confirmationem unius pueri, qui interea mortuus est, distulisset, adeo doluit, ut abdicato episcopatu, hortulanus factus sit, Surius, in ejus vita. Et propterea S. Paulus, cum reperisset quosdam discipulos, mox quæsit, an essent confirmati? Et cum non essent, confirmavit eos, Act. VIII.

II. Circa suscipiendam confirmationem ante baptismum, nec in statu excommunicationis. Colligitur id ex Actorum II. ubi dicitur, quod Spiritus sanctus replevit totam domum, ubi erant (discipuli) sedentes: Et tunc repleti sunt Spiritu sancto. Domus illa ecclesiam denotat; repletio vero Spiritus sancti, sacramentum confirmationis. Et ratio hoc persuadet. Sicut enim natura non perducit hominem ad perfectam ætatem, nisi prius genitum: ita et Deus et Ecclesia, non perducit hominem ad perfectiorem gratiæ statum nisi prius spiritualiter renatum: per baptismum renascimur, per confirmationem crescimus et adolescimus.

Secundo, non ante rationis usum, qui incipit circa septimum ætatis annum.

Primo, ut homo se ad ejus susceptionem actualiter disponere possit, adeoque majori cum fructu et reverentia sacramentum suscipere.

Secundo, ut suscipiens meminisse queat suæ confirmationis, adeoque ne eam repetat. Possunt tamen confirmari infantes in mortis articulo; item si deinceps non sit occasio facile suscipiendi hoc sacramentum: rursus si id obtineat consuetudo. Vicissim etiam non expedit diutius differre hoc sacramentum: tum quia in innocentia utilius suscipitur, tum quia est remedium contra graviores lapsus, ideoque citius adhibendum.

Tertio, non in statu peccati. Ut enim augmentum supposuit vitam: ita confirmatio supponit hominem in Christo vivere per gratiam, quam adauget, non de novo dat.

Quare contritio saltem necessaria est confirmando, qui est in peccato lethifero: confessio sacramentalis præmitti quidem non mandatur, admodum tamen utiliter et consulto præmittitur.

Qui in statu peccati confirmatur irreverentiam exhibet sacramento, et se fructu sacramenti privat.

III. Circa patrinum nosse debet, contrahi cognationem spiritualem, uti inter confirmatum et confirmantem, ita inter confirmatum et patrinum. Statutum hoc a ss. canonibus, ob reverentiam: quia confirmans et patrinus confirmati, spirituales parentes sunt, Concil. Trid. sess. XXIV. c. II.

IV. Circa effectum noverit eum ordinarie esse triplicem. Primus, est robor et auxilium actualis gratiæ tempore opportuno conferendum, ad fidem Christi constanter profitendam, unde Græce confirmatio dicitur, perfectio: ad perfectam et firmam fidem ducit facitque ex puero adultum, et militem ex cive et domestico Dei; estque instar chalybis, qui roborat, et durat securim, vel gladium ferreum, ut penetret et scindat. Hujus ergo defectu multi in tentationes et laqueos incidunt diaboli, necnon errores hæresesque. Experientia teste comprobatum est Turcas et infideles nequaquam ita cordatos esse in præliis, uti sunt Christiani, utpote confirmati: idem in nuperis præliis videre licuit in hæreticis, qui pene semper timore correpti aut terga verterunt, aut profligati sunt, catholico nostro exercitu vincente semper et impavido persistente. Refert in hist. ecclesiastica Euseb. Novatum hæresiarcham nunquam perfecte Spiritum sanctum habuisse, eo quod ab episcopo confirmatus non esset, adeoque tam superbæ hæresis auctorem extitisse, et cum esset presbyter, in persecutione præ metu negasse se esse presbyterum. Ob eandem causam arbitror hæreticos pro fide sua disseminanda nequaquam se exponere periculo mortis, sed fere domi in tuto considerare: cum contra catholici nulla non pericula adierint, adeantque in hodiernum, dum per tanta maris spatia pergunt ad infideles, ut eos Christo lucrifaciant. Nimirum idem Spiritus, qui apostolos prius pavidos, et oclusis foribus consistentes, ita mox roboravit, ut foras erumpentes maxima omnium admiratione Christum ferventissime prædicarint, et plurimos ad fidem et pœnitentiam adduxerint: idem, inquam, Spiritus in Ecclesia catholica mediante sacramento confirmationis viget et operatur.

Secundus, augmentum gratiæ sanctificantis, per quam magis sanctificamur, et Deo gratiores simus; virtutes item augentur in nobis, et dona Spiritus infunduntur: leviora peccata dimittuntur, et per accidens interdum mortalia, (quæ videlicet inculpabiliter nescimus in nobis.)

Tertius, character est, qui est tessera quasi militaris, qua ad militiam Christi, et fidem de-

pendendam contra insinuatores Christianus deputatur, et consecratur. Tria sunt sacramenta, quæ imprimunt characterem: baptismus, in quo signatur homo, ut ab infidelibus segregatus sit ad Christi ovile pertinens: confirmatio, in qua signatur homo, tamquam miles Christi ad pugnam deputatus: ordo in qua signatur homo tamquam deputatus minister Christi, et dispensator mysteriorum Dei. Triplicem hunc confirmationis effectum notavit apostolus, II. Cor. I. cum ait: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo: et qui unxit nos* (en primum, quia athlete ungebantur), *qui et signavit nos.* (en tertium) *et dedit pinguis Spiritus in cordibus nostris* (en secundum).

V. Præter hos extraordinarii effectus non raro consecuti sunt sacram confirmationem, ut cum cæco nato visus restitutus est a Farone Meldensi episcopo, apud Vincent. in spec. lib. XXIV. cap. XVIII. et cum alteri cæco in confirmatione lumen restitutum est a S. Remberto archiepiscopo Bremensi, apud Surium, 4. febr. et cum lunatico sanitas reddita, apud S. Bernard. in vita S. Malachie: item cum dæmonis præstigiæ abactæ, uti scribit Thomas Cantipratensis, lib. II. apum. cap. XXXVII. part. XXXIII. hic verbis: «Venerabilis Bonifacius quondam Lausanensis episcopus me audiente tale quid recitavit. Erat in quadam villa cæcus quidam, qui vaccas totius villæ in pascuis custodiebat, repellebat a frugibus, et ad certa loca pascuis uberiora ducebat: quod majores erat prodigii colores et statum singularum vaccarum specialiter discernebat, v. g. ut si vaccam coloristalis ab eo petivisses, sine difficultate vaccam tibi talem apprehensam in cornibus obtulisset. Ad locum autem cum quidam episcopus advenisset, et de cæco audisset talia et probasset, quæsit ex eo, si confirmationis sacramentum ab episcopo suscepisset, at ille: Non, inquit. Nec mora, episcopus cæcum confirmavit, et mox ab eo vaccarum discretio est ablata, quoniam dæmonum operatione et ministerio hoc fiebat.» Sic ille.

Superest nunc ut huic sacramento e nobis suscepta strenue cooperemur; non enim sine nobis operatur gratia sacramenti: *Sed gratia Dei mecum*, inquit apostolus. Evaginemus et stringamus gladium, quo accineti sumus: quemadmodum enim S. Petrus dixit juveni, quem a morte excitare præsumperat Simon magus quæ suis præstigiis id effecit ut juvenis videretur caput movere: *Si vivit, surgat, loquatur, ambulet*, (aquæ Hægesippum de excidio Hierosolym.) ita dico ego omnibus confirmatis: Si vivunt gratia Spiritus sancti confirmati, si veri Christi milites facti sunt, sur-

gant a tepore fidei ad fervorem ejusdem: ideoquantur fidem suam publice prædicando et defendendo: ambulent ut catholici: monstrent se tales pingendo frontem crucis signo, gestando rosaria, flectendo genua in templo et in foro, cum sacra eucharistia gestatur ad infirmum, cum pulsatur ad orationem, etc. ambulent etiam usque ad mortem, cum vel ob religionem et honorem Dei, vel salutem proximi periculum mortis instat. Exemplo nobis sunt apostoli, qui ante confirmationem in die pentecostes acceptam cerei erant, et ad vocem ancillæ trepidarunt, post eam ferrei et chalybæi facti sunt, ut non dubitarent dicere magistratibus: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*, hoc et nos quoque intrebide faciamus, etc.

CONCIO VII.

DOCUMENTA.

I. Quantum bonum dilectio proximi. — II. Quantum malum odium. — III. Quam bonum a mundo reprobari. — IV. Quantum malum ignorantia. — V. Quam bonum odio haberi gratis. — VI. Quantum malum pertinacia.

THEMA.

Memento sermonis mei, quem ego dixi vobis.
Joan. XV.

Jeremiæ XXIV. ostendit Dominus prophetæ duos calathos plenos ficibus, positos ante templum Domini, quorum unus ficus habebat bonas nimis, alter malas nimis, quæ comedi non poterant. Prior calathus significabat populum Deo et Dei cultui conjunctum, posterior populum inobedientem et reprobum: prior civitatem Dei, posterior civitatem diaboli. Video etiam in hodierno evangelio duos ejusmodi calathos, in quorum uno optimæ ficus, in altero pessimæ sunt. Prior est Christus cum sectatoribus suis, in quo deprehendo tria optima bona quasi ficus optimas, charitatem fraternitatis, patientiam, innocentiam. Posterior est mundus cum incredulis Judæis, in quo deprehendo tria pessima mala, odium, ignorantiam, pertinaciam. Utriusque calathi ficus nunc consideremus, illas ut edamus, has ut aversemur.

I. In calatho Christi deprehendimus primo, quantum bonum sit dilectio proximi et unio Christianorum, siquidem Christus eam nobis toties inculcat in sermone ultimæ cœnæ, ex quo desumptum est hodiernum evangelium, in quo ait: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*, quasi dicat:

Hoc unum facite, nec immerito, quia, si foret unio charitatis inter homines, mundus fieret quidam paradisi, tollerentur rixæ, odia, insidiæ, bella, furta, homicidia, adulteria, detractioes, contumeliæ, etc. denique eliminarentur mala omnia, bona omnia in ducerentur. Talis paradisi fuit Ecclesiæ primitiva tempore apostolorum, quando multitudinis credentium erat cor unum et anima una, Actor. IV. quia videlicet omnes unam Dei voluntatem quærebant: omnes uno Spiritus sancti vinculo nectebantur: omnes Christum induerant: omnes uni capiti, Petro, parebant: omnes unam hereditatem, quæ divisa non minuitur, sed augetur, sperabant. Hæc omnia cæmentum erat conglomerans et connectens Ecclesiæ illius fabricam, quod, quia nunc desideratur et plerique solum ad terrena attendunt, hinc impleri videtur in Ecclesia, quod dicitur de Jerusalem, Matth. III. *Jerusalem, quasi acervus lapidum erit*, qui nullo scilicet vinculo sibi cohæret. Eo autem tempore Christiani se mutuo vocabant fratres, et duravit aliquot sæculis ea animorum unio, verum crescente fidelium numero, paulatim refrixit.

II. In calathio mundi deprehendimus quantum malum sit odium. Primo, enim excæcat et indurat hominem, ne videat veritatem et convertatur ad Deum. Patet in Scribis et Phariseis, quorum ulcus detegit hic Christus, dum radicem incredulitatis eorum ait esse odium et invidiam: *Viderunt inquit (opera et miracula) et oderunt me et Patrem meum*. Nimirum, odium et invidia trabs est in oculo, impediens eundem ne possit cernere verum. Vitrum est viride vel cæruleum, quod omnia repræsentent viridia vel cærulea, quæ per illud conspicis. Infectus maligno humore stomachus et palatum quidquid gustat, amarum et insipidum judicat: par ratio in odio. Quod quid operis et miraculi Christus fecit, in oculis Phariseorum lancea erat, fel in faucibus. Videbant æquum esse, ut in sabbato suam quisque jumentum ducat ad aquatum, extrahat e puteo: et non videbant recte a Christo fieri, quod in sabbato liberaret homines a dæmonis potestate aliisque miseris.

Secundo, in Deum redundat, licet hominem tantum oderis. Ait enim Dominus: *Qui me odit Patrem meum odit*. Eademque ratione, qui odit hominem, Deum quoque odit. Propterea enim mandatum dilectionis Dei et proximi semper conjunxit: quia Dei et proximi amor sunt veluti gemini annuli ita sibi mutuo impliciti, ut unus sine altero nequeat avelli a digito, quoniam uno eodemque amore et Deum amamus propter se et proximum propter Deum, qui est ratio amandi proxima. Quare si abstuleris a proximo tuo

annulum amoris ejus auferis et annulum alterum, amoris scilicet Dei: *Si oderis proximum, odisti et Deum*.

Medium se constituit Deus inter te et proximum tuum, ita ut eundem lædere non possis, nisi læso prius Deo.

Disce ergo vel hinc, quam sollicitè abstinere debeas ab offensa et odio proximi.

III. In calathio Christi deprehendimus, quantum bonum sit a mundo abjici et odio haberi, nec non adversa quæque ab eodem pati. Hoc enim primo honorificum est, quia eandem sortem Christus expertus est: *Si mundus vos odit, inquit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit*. Quis autem sortem suam non libenter cum Christo communem habeat? Memorat Plutarchus et Ælianus, var. histor. lib. XIII. cap. XLI. clarissimum virum Phocionem ab Atheniensibus morte damnatum, cum videret ejulare eos, qui una etiam morte mulctandi erant, ad unum eorum dixisse? *Annon, o Tudippe, pulchrum tibi ducis cum Phocione mori?* Idem vobis merito dicere potest Christus, si mundi odium cum ipso ferre timeatis.

Secundo, signum est vos de mundo non esse, si a mundo repellimini: *Si de mundo fuissetis, ait Dominus, mundus quod suum erat, diligeret: Quia vero de mundo non estis, propterea odit vos mundus*. Canis non allatrat domestico, sed peregrinos tantum et externos. Quare si te mundus allatret, si mordeat, si repellat, signum est te mundi civem non esse sed peregrinum, qui ad cælum tendat, adeoque ex Deo esse. Quos mundus ejicit, colligit Deus, uti patet exemplo cæci nati, qui ejectus foras a Judæis, a Christo inventus et collectus est, Joan. IX. *Ejectus est, inquit S. Chrysostomus, hom. LVIII. in eum locum, a templo, a Judæis et in templo a Domino inventus est, contemptus a contemptoribus Christi, ab angelorum Rege honoratus est*. Elias a Jezabele morti destinatus, fugere compulsus est vastam in eremum, sed ibi ab angelis pastus est, III. Reg. XIX. Quare: *Nolite timere opprobrium hominum, inquit Isaias, cap. LI. et blasphemias eorum ne metuat: sicut enim vestimentum, sic comedit eos vermis: et sicut lanam, sic devorabit eos tineæ, salus autem mea in sempiternum erit*: S. Hieronymus, in epistola ad Asellum dicit: *Gratias ago Deo meo, quia dignus sum quem mundus oderit*.

IV. In calathio mundi deprehendimus quantum malum sit ignorantia, quæ fecit ut Judæi Christum ejusque apostolos a se repellerent, imo subsannarent et occiderent, quodque amplius est, in eo se obsequium præstare Deo crederent: *Hæc facient vobis propter nomen meum, inquit, quia*

nesciunt eum, qui misit me. Quemadmodum in sensibus visus nobilissimus est, præstantissimus et utilissimus: ita in dotibus animæ nihil præstantius est lumine intellectus. Qui oculis captus est, nullo recto itinere graditur, ad suam perniciem currit, pericula non vitat, bona non prosequitur, nocet quibus non vult, nec debet, etc. eadem omnia agit, qui lumine intellectus caret; omnia enim præpostere agit, amicos suos pro inimicis habet, inimicos pro amicis, e patulo carcere non egreditur, gehennam non fugit, ad montes aureos cælestis gloriæ non currit, etc. Quæ causa est cur falco in manu aucupis sedeat et suam libertatem non quærat, in sublime non avolet, prædas suas non sectetur, nisi quia cappam super oculos habet, adeoque nescit ubi sedeat. Eodem modo peccator sedet in manu et potestate diaboli, nec fugit periculum gehennæ, nec evolat ad Deum patrem suum per penitentiam et amorem, nuntios Dei repellit, diabolum vero recipit. Unde, nisi quia cæcus est et ignorantia velo tectus? Patet in Judæis qui Christum et apostolos ejus ejecerunt, occiderunt, Barabbam elegerunt. Quamobrem S. Paulus suis in epistolis toties et tam ferventer orat ut repleamur cognitione Dei et earum rerum, quæ ad salutem nostram spectant, veluti ad Eph. I. *Non cesso, inquit, gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis ut Deus, Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ et revelationis in agnitione ejus; illuminet oculos cordis vestri, ut sciatis, quæ sit spes vocationis ejus et quæ divitiarum gloriæ hæreditatis in sanctis: et ad Ephes. III. Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi: ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo, etc.* Naturali impulsu quærit visus, quidquid videre potest. Obliga cani alterive bruto animali oculos, videbis, quam laboret, ut velum ab oculis removeat: obliga infanti, et videbis illico eum cum ploratu velamen abripiem.

Cæci illi duo, rogati a Christo, quid sibi fieri optarent, aliud non petierunt, nisi ut aperirentur oculi eorum, Matth. XX. Et nos, quid non expendimus ut visum conservemus vel perditum recuperemus? At quanto plus interest, habere oculos cordis? Et hoc tamen habere cæcos, quam multi nihil curant? Imo quam multi cæcitatem suam amant, dum conciones fugiunt, conscientiam confessario non aperiunt, libros pios aversantur, seipsos nunquam inspiciunt in speculo conscientia suæ lumen intellectus nunquam a Deo petunt, novissima non considerant?

V. In calathio Christi deprehendimus, quantum bonum sit odio haberi gratis, tum

VI. PARS FESTIVALIS.

Christus etiam gratis odio habitus est: tum quia odium istud damnum non affert, sed laudem: damnum non affert, quia nihil ei adimere potest.

Velut enim canis lapidem mordens, sibi nocet, non lapidi: ita, qui oderunt justum. Projecerunt Danielem satrapæ Babylonis odio æstuantem, in leonum lacum; sed quid illi nocuerunt? *Conclussit enim Dominus ora leonum et non nocuerunt ei*. Illi vero qui in Danielem fabam illam cuderant, in seipsos eam cuderunt, quando nimirum ipsi postea in eundem lacum detrusi sunt et lacerati a leonibus, Daniel VI. similiter Josephum gratis oderunt fratres, cum extinguere eum volentes, deposuerunt in cisternam et post venderunt in Ægyptum. Ex omnibus enim Josephus evasit incolumis: ipsi vero tandem in Ægyptum ire fame premente et fratri supplices fieri compulsi sunt, Gen. XLII. Laudem affert, quia nihil in eo carpendum aut vituperandum repetit: ob quam causam insultavit S. Martinus moriens dæmoni sibi adstanti: *Quid adstas, inquit, cruenta bestia? Nihil funesti in me reperies, ut in ejus vita. Felix terque beatus, qui hoc dicere mundo et diabolo potest!*

VI. In calathio mundi deprehendimus, quantum malum sit pertinacia; siquidem Judæos, qui tot auditis sermonibus, tot visis operibus et miraculis, credere adhuc noluerunt, *inexcusabilis* ait Dominus.

Solet ignorantia etiam crassa excusationem aliquam admittere: sed malitiosa et affectata, qualis erat in sacerdotibus et principibus Judæorum, inexcusabilis est, ut hic testatur Dominus. Nihilominus tamen istam etiam principum ignorantiam excusat, aliquo modo S. Petrus, Act. III. et ipse Dominus in cruce, quia scilicet etiam illa minus adhuc habet sceleris, quam si occidissent Christum cognitum, ex certa scientia et mera malitia. Jam ergo, auditores, si inexcusabiles sunt Judæi, qui Christo non crediderunt, qui eum oderunt et occiderunt, quis excusabit Christianos, qui eundem cognitum, et quem pro Deo suo colunt, gravissime adhuc delinquant? Quanta nunc habemus fidei argumenta? Quanta incitamenta ad vivendum christiane? Quot libros? Quot conciones? Quot exempla? Quot miracula? Quot beneficia?

His omnibus si non movemur, sed adhuc persistimus in cæno peccatorum, actum conclamatumque est de nobis: excusationem non habemus, quemadmodum et ille, qui in nuptiis deprehensus sine veste nuptiali, redargutus obmutuit, ideoque mox ejectus est in tenebras exteriores.

CONCIO VIII.

MYSTERIA EVANGELII.

- I. Cur ait Dominus: *Hæc mando?* — II. Cur mundi nomine reprobi? — III. Cur mundus odit apostolos? — IV. Cur præmoniti apostoli de persecutionibus? — V. Miracula Christi an convincere potuerant Judæos? — VI. An excusabiles?

THEMA.

Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis. Joan. XV.

Panem solent homines ea reverentia tractare, ut etiam micam unam, si in terram cadat, sedulo colligant, osculentur et manducant, negligere eam pro peccato ducant. Hinc etiam Dominus fragmentum panem colligi præcepit, ne quid periret. Quod si panem mortalem ita observamus, multo magis decet, ut idem faciamus cum pane spirituali qui est verbum Dei: *Non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*, Matth. IV. Imo S. Augustinus, lib. L. hom. XXVI. vult non minorem adhibendam esse sollicitudinem in audiendo Dei verbo, quam adhibetur in susceptione eucharistiæ, ne vel minima ejus particula in terram cadat. Quæ cum ita sint, et hodiernum evangelium Christus Dominus in ultima cœna proposuerit, piaculo duceremus, si non omnia ejus verba accurate ponderaremus, adeoque micam etiam de mensa Domini nostri colligeremus.

I. Cur dicit Dominus: *Hæc mando vobis*, et non potius: *Hoc mando vobis*, ut diligatis invicem; siquidem hic unum tantum præceptum mutue charitatis commendat?

Resp. primo, ut indicet hoc mandato cætera contineri, quæ sunt secundæ tabulæ, sicuti testatur apostolus ad Rom. XIII. cum ait: *Qui diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur; Diliges proximum tuum sicut teipsum: dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.*

Cum ergo omnia præcepta secundæ tabulæ, proximum tangant, omnia in radice charitatis fundantur, et in unum coeunt. Unde Gregor. hom. XXVII. *Præcepta Dominica et multa sunt et unum. Multa per diversitatem operis: unum in radice dilectionis*. Quinetiam S. Augustinus, lib. I. de Trinitate, cap. VIII. vult præcepto impleto, impleri etiam legem primæ tabulæ, quia dilectio proximi præsupponit dilectionem Dei, ut sui fontem et

causam. Proximus enim diligendus est propter Deum; ergo simul, imo magis ac prius diligitur Deus si vere diligatur proximus. Quare recte S. Joannes apostolus moriturus de hoc præcepto dicebat: *Si solum hoc fiat, sufficit*: et S. Jacobus, cap. II. eandem regalem vocavit legem. *Si legem, inquit, perficitis regulem secundum Scripturas: Diliges proximum tuum sicut teipsum, benefacitis. Regia autem lex dicitur, quia regis instar, cæteras sub se continet. Eandem ob causam S. Augustinus, serm. XXIII. de verbis Domini, charitatem oleo significari ait, quod omnibus liquoribus supernatat. Ut ergo rex numero plurali de se loquitur: *Nos Dei gratia Philippus, etc.* sic de præcepto isto bene dicitur: *Hoc mando vobis, etc.**

Secundo, ut indicet quam serio commendatam suis discipulis velit charitatem. Monuerat enim in sermone illo habito in cœnaculo jam ante sæpius, de charitate conservanda, et variis argumentis eandem commendaverat: *Mandatum novum, inquit, do vobis, ut diligatis invicem*: et rursus: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem*: Nunc igitur subjicit: *Hæc, quæ de charitatis præcepto sæpius inculcavi, et mandavi, quod sit novum et meum præceptum, iterum, mando et commendo vobis*: ut ea cordibus vestris indelebiter inculpatis. Indicat ergo Dominus quantopere a Christianis requiratur mutua charitatem, quam tot verbis eis commendavit, quasi dicat: *Hæc mando, ut observetis hoc præceptum tamquam novum et tamquam meum; novum, quia hactenus id vobis non tradidi, sed usque ad ultimum meum sermonem et instantem mortem distuli, tamquam rem maxime vobis commendatam: novum, quia volo ut novo fervore jam impleatis, non uti gentiles, sed ut Christiani, ita ut gentiles vos admirentur, dicentes: Ecce quomodo se invicem amant! Ecce quomodo pro se invicem mori parati sunt!* (Quod factum esse scribit Tertullianus, in apol.) Novum, quia hoc præcepto mundus innovabitur, cessabunt rixæ, bella, odia, egestas, invidia, immiseriordia, etc. si lex hæc observetur: novum, quia novo vinculo invicem devincti, et in Christo omnes facti sumus fratres: meum vero, quia singulariter mihi gratum et dilectum, nihil enim optabilius est dilectione; sic dominus aliquis vocat equum suum, cui potissimum inequitat, licet plures habeat: meum, quia si hoc mihi servaveritis, cætera facile servabitis, et si dilectionem hæc a vobis obtinero, cætera omnia obtinebo.

II. Cur mundi nomine mali intelligantur, ut hic: *Si mundus vos odit*: et Joan. XVII. *Non pro mundo hoc rogo, sed pro his quos dedisti mihi, et alibi passim?*

Resp. primo, quia pars hominum mundo huic corporeo et sublunari deditus est, in eoque corpore et mente habitat. Etenim uti duæ sunt in homine partes, animus rationis compos et spiritualis; corpus rationis expers, brutum et ferum: ita duæ sunt a Deo constitutæ sedes, una pro angelis et animabus: altera pro corporibus. Unde homo, quia partim angelus, partim brutum est, sicut corpore in terris habitat cum bestiis; ita animo in cælis habitare deberet cum angelis, quemadmodum et apostolus, qui ad Philippens. cap. III. ait: *Nostra conversatio in cælis est. At vero mali homines terrenarum rerum lenocinio decepti, sedis animorum propriæ obliviscuntur et corpore simul atque animo bestiarum instar in terris repunt; mundum cogitant, mundum amant et venerantur omnibus suis operibus. Unde August. ser. XLIX. de tempore ait: *Cur peccatores nomine mundi appellantur? Quia mundi dilectione inhabitant mundum.* Et ego amans in amatum quodammodo transformatur, ita amatores mundi, quia semper mundum sapiunt, cogitant, loquuntur, mundum quodammodo fiunt. Sic dixit Deus, Gen. VI. de peccatoribus: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*, id est, carnalis, et in opera carnis projectus: sic Jerem. cap. XXII. loquitur ad Judæam: *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini*: sed cum in mundo habitent etiam boni, cur in malam accipitur partem, et pro malis? Respondetur, quia plerique hominum mali sunt et mundi amatores. Hinc appellatus forte mundus, quia minime mundus, sed imprimis malis hominibus plenus; quomodo Arabia dicitur felix, quia minime felix, sed montosa, arenosa et sterilis. Etenim si circumferamus oculos, quam pauci inveniuntur boni, et quam multi mali in omni statu? E regibus et principibus paucos aliquot novimus sanctos, plurimos vero reprobos. Unde Flavii Claudii imperatoris stultus non stulte asserebat, se omnes bonos imperatores annulo suo inculpturum. In se clero sæculari, quam paucos reperimus Philippos Nereos? *Omnes quæ sua sunt quaerunt*, ait apostolus, *non quæ Jesu Christi.* Inter advocatos, quam pauci sunt Ivones? Inter opifices et cives, quam pauci Homoboni? Inter agricolas et servos, quam pauci Isidori? Inter mendicos, quam pauci Servuli?*

III. Quare mundus odio habuit et tam dire persecutus est apostolos? Respondetur id indicatum esse a Christo, in hodierno evangelio. Nam primo, id fecit, quia Christi discipuli non erant de mundo, sed contraria incedebant via. Quæ enim mundus magni aestimabat et amabat, hæc illi aspernabantur et odio habebant. Unde vel ipsa

apostolorum vita, tacita erat mundi reprehensio. Quid autem mirum, si ignis in aquam, color in frigus pugnet?

Secundo, quia Christum prædicabant, ejusque evangelio mundum arguebant: *Hæc facient vobis propter nomen meum*, inquit Dominus. Cupiebant enim illi mederi perditio et desperato mundo, qui tamen medicinam illam velut asperam respuebat. Nec mirum, caput scabiosum odio habet pectinem.

Tertio, quia mundus Christum Dei Filium, et Messiam, qui eos misit, esse ignorabat: *Quia neciunt eum, qui misit me*, ait Dominus.

Quarto, quia invidia excæcavit eum. Vidit eos multa signa patrare, quæ non poterat ipse cum omni sua potentia: vidit turbam plurimam abire post eos: vidit multas virgines et matronas nobiles, per eos averti a se, et ad castam sanctissimamque vivendi rationem traduci: vidit sapientes suos magos et similes ab iisdem vinci e confundi: hinc invidia in eos conflata est, quæ excæcatus mundus patres patriæ perdidit. Hoc est quod dixit Dominus: *Quia odio habuerunt me gratis.*

IV. Quamobrem Christus discipulos suos præmonere voluit de futuris mundi persecutionibus, et odiis, velut cum hodie dixit: *Mementote sermonis mei, etc.* Respondetur primo: *Prædixit futuram perturbationem, ut quasi ante cognita levius portarent*, ait Beda, Matth. X. *Minus enim jacula feriunt*, inquit S. Gregorius, hom. XXXV. in evang. *quæ prævidentur, et nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum præmunimur.* Sciebat enim Dominus gravissimas tempestatis imminere suis discipulis, cruces, ignes, serras, cultros, gladios, etc. quæ ut levius ferrent, prædicere eis voluit; atque ita jugo apostolorum, velut bonum, pulvinar aliquod supponere.

Secundo, ut fidem et constantiam eorum probaret, vel potius mundo ostenderet. Quotusquisque nostrum est, qui Christo adhæsisset, si ab eo audisset omnes ejus discipulos per varia et exquisitissima supplicia a mundo exterminandos esse? Certe adolescens ille, quando id solum audivit, Matth. XIX. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, etc. tristis abiit.* Quanto citius abiisset, si Christum audisset dicentem: *Vade, sequere me in mortem et crucem? Itaque non frustra aut mere gratis vocantur apostoli, cæli principes: tales enim fortitudine sua esse meruerunt.*

Tertio, ut intelligerent, se nondum omnino perfectos esse, sed tunc demum Christi veros discipulos futuros, si Christum in passione imita-

rentur: *Patientia enim opus perfectum habet*, ait S. Iacobus, c. 1. Unde S. Ignatius, cum ad bestias duceretur, dicebat: *Nunc incipio fieri Christi discipulus*. Patientia itaque supremæ laureæ examen est. Nemo sibi persuadeat se perfectum Christi imitorem esse, priusquam hac laurea coronatus fuerit. Patientia est lapis Lydius, quo probantur omnes aliæ virtutes: unde Rom. V. dicitur: *Patientia probationem operatur*: inde virtutes Job in hoc lapide probare voluit dæmon: *Extende, inquit, paulum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet: nisi in faciem tuam benedixerit tibi*, Job. I. Quare si advertis te nondum exerceri in patientia, scias te adhuc longe abesse a perfectione.

Quarto, ne scandalizarentur aliquando toto mundo insurgente contra eos, et propter nomen Christi iniquissime eos tractante. Nisi enim hac de re præmoniti fuissent, facile deijci poterant, cum videbunt mundum totum sibi et Christo adversum, seque nihil aliud, quam Uriæ litteras ferre. Cogitare enim poterant: Itane magister nos decepit? Vel defendere non potest, etc? Idcirco etiam eis dixit alibi: *Eecce ego mitto vos in medio luporum*, id est, ad macellum et lanienam.

V. Fueruntne Christi doctrina et miracula talia, ut Judæi credere tenerentur eum esse Messiam; siquidem ait Dominus, eos excusationem non habere?

Respondetur, Christi doctrinam sejunctam quidem a miraculis non videri sufficientem fuisse ad hoc. Nam in hodierno evangelio, Christus suæ doctrinæ miracula adjungit. Ratio est, quia prædicans populo non aperte dicebat se Messiam, ne Romanos offenderet, et in se concitaret ante tempus. Miracula tamen ejus omnino talia fuerunt, ut credere deberent Judæi ipsum esse Christum. Etenim a Christi miraculis magis superabantur aliorum sanctorum miracula, quam vincantur a sole stellæ. Idque quadruplici modo.

Primo, multitudine. Nam omnes male habentes curavit, ut ait Matth. c. VIII. Marcus, c. VI. ait: *Quotquot tangebant eum, salvi fiebant*: Lucas, c. VI. *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes*: Johannes, c. ult. *Sunt autem et alia multa, quæ si scribantur per singula, ne ipsum arbitror, mundum capere posse*: hinc ipsimet Judæi dicebant: *Christus cum venerit, nunquam plura signa faciet quam quæ hic fecit*, Joan. VII.

Secundo, magnitudine. Nam quatruiduanum mortuum suscitavit: et cæcum natum illuminavit, quod a sæculo non fuisse auditum Judæi testabantur. Deinde, a mortuis resurrexit, et ad cælum ascendit. Ad hæc ipse Dominus ait in hodierno

evangelio: *Si opera non fecissem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Nec refert quod alibi dicat: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet*, Joan. XIV. Nam ea omnia fecerunt sancti per Christum, nec tam ipsi, quam Christus in eis, ut ipsi confessi sunt, Actor. V. IX. etc.

Tertio modo, non enim diu multumque laborando, sicut Elias et Elisæus: nec orando et obsecrando, ut fere omnes sancti faciebant; sed repente, imperando ac propria auctoritate miracula omnia faciebat: veluti cum dixit: *Volo, mundare*: cum præcepit dæmoni; quem discipuli ejicere non poterant, dicens: *Ego præcipio tibi, exi ab eo, et amplius ne introeas in eum*, exivit enim continuo, Marc. IX. item cum mortuos suscitavit, dicens: *Puella surge. Adolescens, tibi dico: Surge. Lazare veni foras, etc.*

Quarto, varietate. Ut enim ostenderet se omnium creaturarum Dominum et factorem, in omni rerum genere prodigia aliqua edidit: in cælo et sole, cum in obitu suo eclipsin miram et horrendam effecit: in elemento ignis, cum inde stellam evocavit, quæ magos ab oriente duceret in Palæstinam: in aere, cum ventis imperavit: in aquis, cum semper eas siccis pedibus ambulavit: in terra cum eam tremere fecit moriens: in mixtis inanimatis, cum petras scidit, et panes multiplicavit: inanimatis seu arboribus, cum ficum subito arefecit: in brutis animalibus, cum piscium multitudinem concludere apostolos fecit, et cum Petro piscem obtulit capiendum, habentem in ore staterem: in hominibus innumera, cum tot cæcis visum, tot surdis auditum, tot claudis gressum, tot ægris sanitatem, et mortuis vitam restituit: in spiritibus, cum malignos ejecit ex obsessis hominibus, cum in mare præcipitavit; quæ omnia a Messia faciendæ esse prædixit Isaias, cap. XXXV. ut merito Christus dicere potuerit: *Si mihi non creditis, operibus credite*, Joan. X. Ubi præterea illud innuit, se ea miracula fecisse ad confirmationem suæ divinitatis. Fieri autem nequit ut Deus, cujus solius virtute fieri miracula proprie dicta possunt, testis salutaris sit. Unde licet etiam mali homines prophetare et ejicere dæmonia queant, juxta Matth. VII. non tamen ad confirmationem rei falsæ; Christus autem omnia sua miracula ad hoc faciebat, ut Messiam se esse comprobaret.

VI. Si verum est, quod ait hic Dominus de Judæis: *Nunc autem excusationem non habent*: item, *Nunc autem et viderunt et oderunt me, etc.* qua ratione excusat eos in cruce: *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt*? Respondetur verbum Christi in cruce intelligi primo posse de cru-

cifixoribus, quos probabile est ignorasse Christum: secundo, de nobis, vel aliis peccatoribus absentibus, qui nesciebant, quid Hierosolymis Christo accideret: tertio, si etiam de Judæis capitur verbum, dicendum est, Christum voluisse peccatum Judæorum extenuare, quantumcumque potuit; tametsi enim sciebat ignorantiam eorum esse voluntariam et affectatam, adeoque inexcusabilem, voluit tamen eam pro viribus extenuare, tamquam minus adhuc culpabilem, quam si

omnino scienter et volenter ex mera malitia peccassent: ut ita ostenderet, quam libenter arripisset argumentum aliquod quod Judæos excusaret, quod suppetiisset.

Quæ cum ita sint, nos Christiani merito timere debemus, ne aliquando minus, quam Judæi simus excusabiles. Nondum viderant illi Christum resurrexisse a mortuis, ascendisse ad cælum, evangelium dilatatum per universum orbem, nos videmus, etc.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUANDO JUDÆ, SEU CONFESSORES, ESSE DEBEAMUS.

I. Quando fides profitenda. — II. Quando veritati testimonium perhibendum. — III. Quando confessio peccatorum faciendæ. — IV. Quando quis convictus de peccato arguitur. — V. Quando innocentes pro nobis affliguntur. — VI. Quando a Deo punimur ob peccata nostra.

THEMA.

Hæc omnia facient vobis propter nomen meum.
Joan. XV.

Scimus, auditores multa, passos esse apostolos propter nomen Christi; neque hoc miramur. Id vero mirandum est, quod unus apostolus pati debeat propter nomen alterius. Quomodo dicetis? Nonne Judas Thaddæus sanctus Christi apostolus est? Hic tamen pati debet propter Judam proditorem; quia Christiani, cum aliorum apostolorum nomina assumant et venerentur, solum nomen Judæ vitant. Nec enim facile reperitur aliquis, qui hoc vocetur nomine, odio proditoris Christi. Non nisi unus ejus nominis commemoratur. Christianus, Act. XV. et alius quidam scriptor ecclesiasticus, apud S. Hieron. l. de script. eccl. et tamen nomen Judæ honorificum et speciosum est; significat enim confessorem, seu confessionem, ut patet, Gen. XXIX. ubi Lia cum peperisset ultimum filium, dixit: *Modo confitebor Domino*, et ob hoc vocabit eum *Judam*. Tales vero Christus Dominus magnopere desiderat, Christianos, inquam, confitentes, odit vero negantes. Ita enim loquitur, Matth. X. *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo*. Ergo si non nomine, propter odium scilicet pro-

ditoris, volumus esse Judæ, simus saltem re, propter Judam Thaddæum, qui gloriosam Christi confessionem et suo calamo scripsit, et sanguine subscripsit. Sed qua in re et quando potissimum tales esse nos oportet? Audiamus.

I. Quando fides profitenda est. Ita enim testatur apostolus ad Hebr. X. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur*. Isaiæ videlicet XXVIII. ubi paulo aliter ex Septuaginta dicitur: *Qui crediderit, non festinet*, hoc est, non trepidet, sed instar leonis, etiam coram canibus, tarde et graviter incedat, fidem profitendo. Accedit Christi sententia jam dicta. Et jure, si enim turpe est militibus negare fidem duci datam, cur non etiam et magis, negare fidem Deo datam? Atqui, cum Dei aut proximi salus id exigit, non confitetur; hoc ipso jam ad defectionem inclinare videtur. Hinc nec lingua sola Christum negare, nec tacendo dissimulare fidem voluere martyres. S. Gordius miles, productus in theatrum, instar leonis, ut scribit S. Basilius, intrepido prodiit animo: monitus ut ore tantum negaret, non corde, respondit: «Ego sane ne lingua quidem meum nunquam negabo auctorem. Corde namque credimus ad justitiam, ore autem confitemur ad salutem. Nolite errare, Deus nequaquam irrideri potest. Ex ore nostro nos judicat. Nonne tremendam Christi sententiam audistis: Qui me negabit coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo? Mihi consultis, ut Deum nosse dissimilem etc.» apud S. Basil. orat. paneg. Sur. 3. jan. S. Mamas juvenis, ab Aureliano imp. flagris cædi jussus, audiit: *Si vel solis labris te sacrificaturum dixeris, continuo ab omni supplicio liberaberis*. Cui ille: *Nec labris nec corde verum Deum et Regem Christum unquam negabo*, Metaphr. apud Sur. 17. aug.